

tos ab invicem distantia, prope caudae exortum orbicularis incisura est in quolibet latere: *cauda* teres, quatuor pedes longa, et circiter in medio sui, duas ossreas spinas crassas retro dentatas habet, quibus pungit, quando ad spiracula apprehenditur, caudam incurvatam supra corpus levando. *Os* inferius habet, haud amplus, edentulum, incisurae quasi parabolicae. *Cute* tegitur in superiori corpore ferrei coloris, et in medio dorso insignitur tuberculis nigris, parvis: inferius corpus totum album. *Caro* nihil aestimatur in cibis.

*Fabebirete Rajae* species, ejusdem magnitudinis cum *Ajereba*, figura autem obtusi vomeris ad latera extuberrantis: sectiones prope caudam ut in illa, et praeterea duo corpora cylindracea digitis crassiti protuberantia. *Cauda* longa. Color pisces superius e cinereo fuscus, inferius albus, carna probata est et bona.

Reperitur hic et alia *Rajae* species praecedenti similis; excepto quod processibus illis cylindraceis prope caudam destituitur. Color totius corporis superius umbrae, punctulatus per totum maculis nigris, seminis finapi magnitudine: *Cauda* aculeis caret. Carnem habet bonam.

Reperiuntur hic et *Rajae*, quarum caudae tres et semis pedes longae, crassae in initio tres digitos, et in fine plane acuminatae, plena tuberculis nigricantis in totum coloris, flexiles ut scutica.

TAB. XXXVII. 8.  
Marcgrav. Hist. Brasil. lib. i. c. 17.

*NIQVI*, Belgis Pieterman, pisces est capite crasso, ore ranae amplio, edentulo, crassa lingua, inferiore mandibula paulo longiori quam superiore. Anterior corporis medietas est paulo latior, posterior angusta et tenueris: estque ut plurimum sex aut septem digitos longus, latus anterius quidem sesquidigitum aut paulo latior: Ocelli ipsi parvi quidem, sed exserti, cylindracei more cancerorum terrestrium, pupilla nigra, circulo e cinereo fusco. Branchias habet amplas, et post quamlibet pinnam unam, digitum longam et latam, in ambitu circinatam: in ventre sub his paulo inferius duas junctas: a medio

dorso pinna ad caudam paene continuatur, semidigitum lata, at in fine paulo angustior, cui respondet similis in infimo ventre: *Cauda* plus digitum longa, minus lata, parallelogrammi figura, in extremitate circinata. Ante exortum pinnae dorsalis duos habet aculeos fortes, et supra postbranchiale utramque unum acutum. Tegitur cute, cujus color ex nigro et umbra, gryfeo que mixtus, nimirum in toto dorso, capite et lateribus, pinnisque omnibus; Venter albicat, et in lateribus etiam plus albi, quam nigri aut grysei est. Per totum dorsum, caput et latera, puncta nigra, magnitudine feminis papaveris, dispersa.

In arena absconditus jacet prope littus Maris, ac incidentes vulnerat.

Edulis est, si jecur et fel bene separetur, alias lethalis.

*Guarapucu*, Lusitanis *Cavala*, Belgis *Königsfisch*, est corpore oblongo, fere aequalis ubique crassitie, excepto versus posteriora, ubi magis magisque attenuatur. Ut plurimum in septem pedum longitudinem excrescit, et crassitatem corporis humani. *Caput* et *os* habet acuminatum, dentes acutos, rotundos, ordine positos, oculos magnos crystallinos, circulo argenteo: *Pinnas* octo, videlicet post quamlibet branchiam unam triangularem, directe a latere protensa: unam tenuem angustam fere in initio dorfi, post hanc unam in eodem dorso triangularem erectam; sub hac in infimo ventre triangularem; duas mediocrem triangulares in infimo ventre subter postbranchiales. *Cauda* constat magna pinna in duo cornua ample extensa. A pinnis autem triangularibus, tam in dorso, quam in infimo ventre, parvulae ordine pinnulae oblongae sunt dispositae usque ad caudam. Vestitur cute argentei coloris, cui in ventre paulum caerulei, in dorso multum miscetur, ut color resplendeat. In quolibet latere linea subtilissimis squammulis contorta describitur ad caudam usque. Boni est saporis. Est quidem *Scomber*, sed quia icon, quam supra dedimus, non convenit, ideo et hanc adjicere placuit.

TAB.  
XXXIX.